



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanvelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

Lamech Mathus. Filius. Enthusiasmus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

## MUNDI

Aut singuli Caino similes vixere,  
Aut unus in singulis Cain revixit.  
Modestus proinde, non molestus Moses,  
Ne vel aures loquendo,  
Vel historiam silendo læderet;  
Loquaci silentio  
Infanda gesto nec evulgavit, nec tacuit.  
Annorum etiam numerum consultò siluit,  
Nihil enim vivunt, qui malè vivunt:  
Nec annos impii usurpant, sed perdunt.  
Novo igitur invento supplicio,  
Scelestos ulciscitur dum tacet scelera:  
Calamo pungit quos expungit.  
Totq; capita obtruncat, quot truncat nomina.  
Jacere igitur æternum,  
Incesti, Latrones, Patricidæ:  
Digna Caina Proles,  
Pro latebra & sepulchro, silentium dono.

---

## LAMECH

MATHUSÆLIS FILIUS.  
ENTHUSIASMUS.

Quorsum Fata consulis Lameche,  
Quem inconsultum facta condemnant?  
Afflatus vaticinor. Quid hoc est?  
Bis amans, bis amens:  
Non uno contentus jugali vinculo,  
Utramq; igitur pellicem, utramq; succubam facis,  
Ut fatidico jam nomine arguaris.  
Lamechus mœchus.  
Quæ hæc discors concordia,  
Cor unum in discordes scindere Conjuges:  
Et alternis Liberis, alternas inducere Novercas?  
Licet sine lituo, & infula prælagite:  
Certum tibi odium rivales infligent Conjuges;  
Cum incerti confligent amores.  
Uro flagrabis incendio.

Cum

Cum geminus Hymen adversis bellabunt facibus.  
 Malo omine Polygamiae licentiam facis ex Bigamiâ,  
 Nam septuagies septies plectendus,  
 Septem, & septuaginta libros suscipies, & depones;  
 Toties Orbis, quoties Pater,  
 Impius verò Genitor,  
 Impio terram Genere onerabis,  
 Magis impius Nepos,  
 Impiorum Principem Atavum pro fera cædes,  
 Nil tibi debet Terrarum Orbis,  
 Quod Cainum exanimas, si ejus animum retines,  
 Uno jaculo Caino mortem; Vitiis vitam, dedisti,  
 Errabit oculus, at non errabit manus,  
 In flagitia per se docilis.  
 Filii etiam nece Atavi Manes placabis.  
 Æquè scelestus, si ve scelestos gignas, si ve occidas,  
 Hoc habent pessimi optimum,  
 Quod mutua sese per arma plectunt:  
 Hoc pessimum, quod sine scelere non possunt plectere,  
 Divinare jam libet:  
 Incipiet mors hæc te punire quâ peccas.  
 Marcente siquidem utraq; pupilla,  
 Antequam vita careas, orbe carebis:  
 Et mortuo destinatam noctem vivus anticipabis,  
 Regent te Filii errantem Patrem,  
 Qui errantes Filios non regis.  
 Te cæcum antecedent, qui scelestum sequuntur,  
 Ibis tandem cum Filiis præceps Genitor,  
 In diluvio naufragus.  
 Cupidinis flammis ambustus, in undâ peribis.

## F A B E L

LAMECHI FILIUS,  
 PROSOPOPEIA.

Viator,  
 Bene mihi precare si malus es.  
 Ego Lamechi primigenius, sed Patre pejor.  
 De malis bene merui.

A s

Nax